SPECIMEN ACADEMICUM
De
JURIBUS CLERICORUM

Quod
ANNUENTE SS. TRIADE
PRÆSIDE
DN. JOHANNE HENRICO Böttcher

J. U. D. Ac Professore Publico Ordinario & Dicasterii Guelphici Assessore
Patronono ac Promotore plurimùm honorando
Amicæ Eruditorum Censuræ
subjicit,

JOHANN MICHAEL Schultze
Hallensis Saxo.
A. & R.

Ad Diem 17. Julii M DC LXXIIX.
IN MAJORI JULEO

HELMESTADI, Typis JACOBI MüLLERI. 1678.

VIRIS

Magnificis Maximè Reverendis Consultissimis atque Amplissimis Dn.

JOHANNI OLEARIO

Ut & Dn.

JOHANN. ANDREÆ

OLEARIO,

SS. Theologiæ Doctoribus celeberrimis,

Reverendissimi ac Serenissimi Principis ac Domini DOMINI AUGUSTI Postulati Administratoris Primatus & Archi-Episcopatus Magdeburgensis &c. Domini mei Clementissimi

Supremis Concionatoribus Aulicis,

Consiliariis Ecclesiasticis & Consistorialibus

Necnon

Superintendentibus Generalibus

ILLI Mœcenati & Susceptori

HUIC Patrono atq; Fautori

Dn. Dn. Promotoribus ac Evergetis Parentis loco filiali observantia æviternum devenerandis suspiciendis colendis

Hasce ingenii primitias ulterioris erga se suaque Studia favoris incitamentum.

dicat, dedicat, offert,

Johann Michael Schultze

AUTOR.



Præfatio.



Eliberanti & materiam ad elaborandam dissertationem Academicam qverenti, oportunè se obtulit *tit. C. de Ep. & Cler.* in quo varia jura ac privilegia Clericorum continentur, qvorum nobiliora pro tenuitate ingenii mei ex Jure Romano moribusq; hodiernis brevissimis pertractare, animum induxi. Sed ne illotis, ut ita dicam, manibus operi me accingam, consvetâ Sacratissimi Imperatoris Justiniani inchoandi formulâ *l. 2 pr: C. de Off. Præf. Præt. Affr.* In nomine Domini nostri Jesu Christi, ut ad omnes actus, ita ad præsentem tractationem progredior.

Thes. I. Jura Clericorum pertractaturum priùs tradere oportet, unde nomen juris descendat, est autem secundum Eccolt. §. *15 de just. & jur.* ob excellentiam jubentis à jussu, (quævox à jubendo derivatur) posteriori syllabâ per Apocopen subtractâ, appellatum. Nam quicquid leges jubent illud est jussum & posteriori syllabâ ablatâ jus, jurisq; habet authoritatem nec non

ut jus observatur. Non solùm autē leges armatæ militiæ addictis qui contra mundanos tantùm hostes nos defendunt singularia privilegia, ut passim in jure nostro videri potest, concedere, sed etiam & qvidem multò magis militibus cœlestis militiæ, ob ingentia pericula quæ contra fraudulentas inferni hostis machinationes ejusq; infensissimum in Ecclesiam impetum sustinent, (non minus enim provident humano generi, quàm si præliis atq; vulneribus nos patriamq; defenderent *arg. l. 14. C. de adv. div. jud.*) specialia præ aliis jura atq; beneficia tribuere voluerunt.

Thes. II. Variæ vocabuli juris acceptioni diu in hærere multaq; de jure scribere supervacaneum foret, cum hoc nostri non sit instituti & omnes ferè juris nostri Authores varias juris acceptiones sufficienter tradant, h. l. autem accipitur pro jussu legis Clericis præ aliis immunitatem ab aliqua re concedente.

Thes. III. Et hoc sanè modo *Jus Clericorum* definiendum puto quod sit beneficium s. privilegium clericis præ aliis, obsanctum quod gerunt officium & singularem eorum favorem, à legibus specialiter concessum atque datum.

Thes. IV. Nunc paucis transitum faciam ad vocabulum Clericus, quod à vocula Clerus derivatur (quæ vox à græco vocabulo κλῆρος descendens latinitati videtur donata) & quidem in SS. literis hæc vox κλῆρος denotat totum cœtum fidelium *1. Pet. V. 3* post verò & imprimis tempore Tertulliani ministri verbi divini dicti sunt Clerici, sic quoque in jure Romano Clerici illi tantùm dicuntur, qui Ecclesiæ & orthodoxæ fidei sunt ministri *l. 27. C. de Ep. & Cler. l. 2. C. Theod. d. t.* vocantur etiam clerici milites cœlestes *c. 2. de pœn. 6. c. cum secundum Apostolum*

lum de præb. item milites Christi *c. reprehensibile 23 q. ult.* Ne quid vero nunc agam de clericorum differentiâ & variis ordinibus apud Pontificios usitatis, de juribus clericorum protestantium pauca tradam.

Thes. V. Quamvis autem Pontificii clericorum jura eo extendant, ut clericos ab omni potestate seculari exemtos asserãt & prætensæ exemtionis fundamẽta in jure divino quærant, eorum tamen opinionem minimè amplectitur Did. Covvar. pract. q. c.31.n.2. longè etiam aliter Chrysostomus *in Ep. ad Rom. c.13. v.1.* verba Apostoli: Omnis anima potestatib9 supereminentibus subjecta esto, exponit, quando scribit: *Omnibus hæc præcipio sacerdotibus & monachũ, non tantum secularibus, statim in ipso proœmio declarat Apostolus cum sic dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto, etsi Apostolus sive Evangelista sive Propheta sive quisquis tandem fuerit, neq; enim potestatem subvertit ista subjectio. Et* Alvar. Valasc. Lusit. *consult. 100. n. 7.* clericis commendat dictum Petri: *Subditi estote*, facit huc *Matth. c 20. v.25. Marc. 10. v 24. Luc. 23. v. 25.* Certe ex Jure Romano apparet quod Clerici non modo Imperatori sed etiam Præfecto Prætorio & Præsidibus fuerint subjecti *l.33 & l.25. C. de Ep. & Cler.* Et Leo IV. Papa disertè professus est se Imperatoris Lotharii præcepta servaturum, verba Leonis hæc sunt: *De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris vestrorum: q; Pontificum Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis quantum valuimus & valemus Christo propitio & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur, & si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit sciatis eum pro certo mendacem c. 9. D. 10.* facit huc *c. 10. & 11 D. ead.* qui Leo Papa ob crimen læsæ delatus coram Ludòvico II. causã dixit *c. nos si incompetenter 41 caus. 2 q 7* quod igitur cle-

 rici

rici ab inferioris judicis jurisdictione sint exemti & forum privilegiatum consecuti, unicè à Majestate seculari processit, nec clericos à legum civilium observantia præstat immunes. Ziglerus *ad §. 4. Inst. Jur. Can. tit. de jud.* Ad conciliandam tamen venerationem sancto clericorum muneri plurimum facit ut certo modo præ Laicis sint privilegiati, & licet subsint Majestati civili & statibus Imperii qui superioritate territoriali pollent, non tamen statutis inferiorum Magistratuum quoad personas aut bona mobilia, indistinctè obligantur Fridr. Pruckm. *vol. 1. cons. 17. n. 28.* Carpzov. *lib. 6. Resp. 42. n. 18.* David Mævius ad Jus Lubecense *p. 1. q. 3. n. 11.* vide tamen Modest. Pist. *p. 1. q. 41.* Henning Gœd. cons. 36.

Thes. VI. Primum itaq; ptivilegium quo clerici gaudent, est immunitas à personalibus muneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis, & hoc privilegium uxoribus & liberis famulisq; & ministris suis communicant *l. 2 §. 1. 2 & 3, l. 6 C. de Ep. & Cler.* 1&c; ob summam quã pro animis hominũ gerunt curam, ne meditatione negotiorũ civiliũ, à meditationibus divinis abstrahantur aut ministerio suo r. destituatur. *arg. l. 17 C. d. t.* hinc nõ coguntur fieri Consules aut senatores. nõ coguntur in æde sacrâ die dominicâ stipẽ colligere, nec tutores inviti fiũt Hahn. *ad Wes. de exc.* & Brunn. *ad C. d. l. 12 de exc. vid. etiam Nov. 123 c. 5.* (nisi ob jus cognationis ad tutelam vel curam vocati, auth. præsbyteros *C. de Ep. & Cler.* vel commiseratione ducti, miserabilium personarum tutelam aut curatelam sponté suscipiant *Guttirez de tut. l. 1 c. 1 n. 30 & seq.*) cum munera sint personalia *l. 18 §. 1 ff. de mun. & hon.* à quibus tamen habent vacationem *l. 6 C. de Ep. & Clor.* quod verò nequaquam ad desides & in ministerio non constitutos clericos extentendum *l. 52 d. t.*

quia

quia causâ privilegii cessante, ipsum privilegium cessat *Tiraquell. tr. cessante causâ n. 210.* Quid autem si voluntarie & sponte clericus susceperit tutelam vel curam, an propterea privilegium amittat, ita ut & aliorum tutelas suscipere cogatur? quod negandum cum *Brunn. ad l. 12 C. de excus.* non enim privilegio suo renunciare voluit, sed in præsenti tantùm tutelâ privilegio suo uti noluit *Mons. c. 35 n. 230.* Et dum ab honestioribus muneribus clerici sunt exemti, multò magis à vilioribus sunt immunes, ut clerici non sint ponendi custodes ad portas civitatis aut ad excubias adigendi *vid. Mund. de mun & honor. c. 1 per tot. & c 6 n 367.*

Th. f. VII. Volunt quoq; clericum non posse fidejubere *Ant. Hering. de fidejuss. c 7 q. 219* si tamen Clericus fidejusserit & contra ejus personam nil sit oppositum, valet fidejussio *Gædd. de stip. c. 7 concl. 13 n. 306 Ant. Gom. de contract. c. 13. n. 18* Sed quæritur an possint esse Advocati & procuratores? & dico quod non juxta *Nov. 123 c 6* ab surdum etenim clericis est imò etiam probrosum si periti sevelint disceptationum esse forensium *l. 41 C. de Ep & Cler.* licet legum scientia clericos egregié ornet & in multis adjuvet, sicut ICtos scientia juris divini, secundum *Brunnem ad l. 41 C. d. t.* Utrum autem ab omnibus alienis negotiis forensibus & civilibus abstinere debeant, quæstionis est? & videtur dicendum quod sic, cum nihil commune clerici cum publicis actionibus & ad curiam pertinentibus habeant *l. 17. C. d. t. canon placuit 21. q. 3 vid. etiam* die Fürstl. Magdeb. Kirchen-Ordnung von Leben und Wandel der Prediger §. 3. quemadmodum enim miles seculi alienis negotiis se non debet immiscere *l 31. C. loc.* ita etiam clericus tanquam miles Christi, à strepitu forensi debet abstinere *2. ad Tim. II. v. 4.*

11. v 4. Excipiuntur tamen causæ propriæ, causæ miserabilium personarum, item causæ Ecclesiæ, in quibus licitè comparere & tam actoris quàm defensoris partes sustinere possunt *Brunn. ad d l 17.* extra hos casus autem clericus secularibus se immiscens, tertio monitus, non desistens, perdit privilegium clericale *arg. c. 12. X. de foro compet.* Quid verò in illustrib. personis & aliis quibusdã clericis etiam singularem jurisdictionem exercentibus usu obtineat notum est.

Thes. IIX. A realibus tamen muneribus, (quæ etiam patrimonialia vocantur *l. 7. C. de omni agro deserto t.t. de mun. patr.*) ratione prædiorum non sunt exemti *l. 3. C. de Ep. & Cler.* (licet *Guttierez, l. 1. quæst pract. 3. n. 15. & ex eo A. Barb. distinctionem faciant*, quæ tamen non amplectenda) quia legibus non distingventibus, nec nostrum est distingvere, hæc enim intuitu rerum, ex quarum possesfione lucrum percipitur, ab omnibus sunt præstanda *l. 2. C. de mun. patr.* imò & ab ipso Pontifice *leg. 18. §. 24. ff. de muner. & honor.* & onus rei cohærens rem ipsam sequitur *l. penult. C. si mancip. ita venierit* facit huc *l 8. §. 3. & 5. ff. de vacat. & excus. l 6 ff. de muner. & honor.* & clerici intuitu bonorum patrimonialium pro Laicis habentur, *Carpz. part 3. Dec. 217. & p. 3 const. 16 def. 10 n. 4 & seq.* Fürstl. Sächs. Ausschreiben wie die Steuer gegeben und eingebracht werden sol *dat.* Coburg. *d. 23 Octobr. 1595 tit.* Prälaten/Aebte und Geistliche quanquam à realibus muneribus tam ordinariis veluti hospitatione militum, quam extraordinariis *l 1 C. de Ep. & Cler* ex indulgentiâ Principis immunes sint in domo quam inhabitant, germ. in der Pfarre / juxta *Eccles § 3 de jur. immun. addatur recessus Imperii de anno 1 70.* quod quotidianâ consuetudine observari videmus & hoc etiam in Archi Episcopatu Magdeburgensi ad fundos ad eam pertinentes

tes extenditur *vid.* Die Fürstl. Magdeb. Kirchen-Ordnung daselbst von Freyheiten der Prediger §. 8. Auch sind sie daselbst von Getraidigt/ Meel und von dem Geträncke so sie vor ihre Haußhaltung zur Nothdurfft brauchen/ Brauen oder einlegen und nicht wieder verkauffen / aller Anlagen und Ziesen befreyet §. 5. *d. t.* der Fürstl. Magdeb. Kirchen-Ordnung.

Thes. IX. Quæritur igitur an à collectis imperialibus turcicis etiam immunitate gaudeant quæ quæstio ut decidatur, sequenti distinctione opus est: Aut enim à personis, aut à rebus exiguntur, si à personis, speciali nomine capitationes vocantur, vulgò Kopffsteuern/ & ad harum præstationem cum uxoribus & liberis non sunt obstricti *arg auth. item nulla C. de Ep. & Cler. junct. l. 1 d. t.* videmus enim à talibus collationibus liberari loca pia & personas Ecclesiasticas, ut *Brunn. ad d. auth.* tradit, & gaudent clerici privilegiis Ecclesiæ, quando persona principaliter consideratur & bona accessoriè veniunt spectanda *Klock de contrib. c. 12 n. 73. Rutger. Ruland. de commiss. p. 4 l. 2 c. 6. n. 31.* imò anno 1664 in ArchiEpiscopatu Magdeburgensi Reverendissimus & serenissimus Princeps Augustus Dominus meus clementissimus in Edicto so wegen der für Augenstehenden Türcken Gefahr halber bewilligten Aufflagen publiciret werden §. auff daß nun harum præstationem illis injungere noluit, sed tantùm voluntati & conscientiæ eorum commisit, an aliquid ad communem necessitatem conferre velint, & hæc immunitas ad alias quoque capitationes, quæ ob aversionem imminentis alicujus periculi præstari debent, ibidem extenditur, quemadmodum ordinatum legimus in Edicto à prædicto Serenissimo Principe Au-

gusto anno 1676 publicato. Si verò à rebus exiguntur, has omninò præstare tenentur *arg. l. 3 C. de Ep. & Cler. Carpz. p. 3 const. 16. defin. 10 n. 4.* hisce enim omnes quantumvis etiam privilegiati onerantur, ex decretis comitiorum *de anno 1542* §. Und nehmlich sollen § Es sollen auch Chur-Fürsten *item de anno de anno 1544.* §. Und nehmlich sollen *de anno 1582.* §. Und demnach sollen die Unterthanen *de anno 1594.* §. Demnach sollen *de anno 1598* §. Demnach dann. A domibus tamen quas inhabitant earumq; pertinentiis has collectas non solvunt, per ea quæ habet *Eccoit.* §. *8 & 9. de mun. & hon. ut supra thes. 7. dictum*, cum hæc ædificia ipsorum non sint propria, sed vel ad universitatem, vel ad istius superiorem plerumq; pertineant, Quib9 vero aliis casib9 etiam clerici collectari possint *vid. Regn. Sixt. de Regal. l. 2 c. 14. n. 108. Klock de contrib. c. 12 per tot.* item per quos judices sint compellendi ad solvendas collectas, tradit *Klock. d. tr. de contr. c. 18 n. 154. 158 & seqq. & vol. 3. consil. 131.*

Thes. X. Sic quoq; à vectigalibus in rebus propriis in quibus nulla exercetur negotiatio habent immunitatem *cap. quanquam de cens. in 6. arg. auth. cassa de SS Eccl. Schnob. Exerc. 19* §. *20. Golnitz. de Vectigal. cap. 3. n. 27 & seqq.* si igitur clericus fructus in agris propriis natos distraxerit, vel si rem aliquam mobilem ad domus familiæq; pabulum victumq; & amictum & cœtera id genus emerit, illamq; rem ex accidenti rursus vendat, vectigal solvere non tenetur, nam pretio rei frui videtur *Guttiretz tr. de gabell. q. 93. n. 17. Klock vol. 3. consil. 151. n. 11. & seqq.* utile tamen ut secum habeant schedulas im̃unitatis Paß oder Freyzettel & res suas in teloniis profiteantur, immunitas enim ipsos non liberat à professione rerum *Hahn. ad VVes. de publ. & vect. n. 6.*

n. 6. si verò scienter quis rebus suis etiam res aliorum non immunium adjiciat, tum privilegium hoc perdit, ita ut licita & illicita in commissum cadant *arg. l. 11. §. 2. d. t. Habn. d. l.* Similiter censum emigrationis solvere non tenentur *Schnob. disp. 25. §. 28* quod etiam ordinatum est in der Fürstl. Magdeb. Kirchen-Ordnung von Freyheiten der Prediger §. 7. verb seqq. So sollen sie auch frey seyn von allem Abzuge der Erbschafft-Fälle/so ihnen oder ihren Weibern und Wittben in andern Gerichten zu fallen und ansterben/ obgleich sonsten derselbe gebräuchlich wäre. Qvam immunitatem etiam Professoribus competere, plurimarum Academiarum exemplo confirmat *Ernest. Cothm. Resp. Acad. 19.* Sed hic respiciendus mos cujusque loci.

Thes. XI. Præterea etiam clericis communiter tribuunt beneficium competentiæ, ut tantùm condemnandi sint, in quantum facere possunt, *teste Colero proc. exec. p 2. c. 3. n. 119. Hartm. Hartm. 2 obs. tit. 18 obs. 2. n. n. 17. VVesenbec. cons. 50. n. 19.* si tamen *l. 6. ff. de re jud.* intueamur satis apparet, quod illa tantùm de militibus armatæ militiæ sit intelligenda· nec quicquam pro clericis facit *c. Odoardus 3. X. de solut. Duaren. ad l 6 ff. de re jud* usu tamen fori passim est receptum, ut exemplo militum etiam clerici beneficio competentiæ fruantur, ob rationem supra in Thes. I. adductam *Carpz. proc jur. tit. 25. art. 6 n 35. 37. 38.* Favor etiam Clericorum est, ut si lite pulsentur ab onere satisdationis per fidejussores sc. & cautione juratoriâ, quod in judicio usque ad terminum litis permanere velint *§. 21. de satisdat.* jure civili sint liberati, & suæ s. nudæ promissioni relinquantur, tàm in caussis civilibus suis, quàm ecclesiasticis *l. 33 §. 3. C. de Ep. & Cler.* cum hypotheca tamen suarum rerum *Nov. 123. n. 21. & 2.* quod & hodie ad Pastores nostros & ministros Ec-

clesiæ referri posse videtur *juxta Habn. n. 11. tit. qui satisdare cogantur &c.* quin etiam in foro Saxonico cum reus ibidem nullam præstet cautionem hâcce non onerantur *Eccolt ad ff. tit. qui satisdare cog. &c §. 6*

Thes. XII. Dum autem clerici Dei ministri sunt, injuria illis illata gravior censetur *l. 4 C. de in ur Nicol. Everhard. à Middelb. cons 30 p.* 115. *lin. 20.* & distinguendum venit inter injurias reales & verbales ita ut si injuria realis illata sit, ratione circumstantiarum pœna statuatur fustigationis vel relegationis, aut si sacra ministeria turbata sint & celebrari prohibita statuatur pœna capitalis *per auth. sed jure nov. C. de Ep. & Cler. Richter vol. 5. cons 18 n. 9.* & injuria clerico præsertim in loco sacro illata sacrilegio annumeratur diciturq; publicum crimen ut quilibet possit accusare, & judex ex officio debeat inquirere *Dec. in tr. crim. l. 6 c 10. & c. 24 n. 3. sic Carpz. in jurupr. consist. l. 3. t 8 def 95. n 7.* ex Cothomanno refert Rostochiensem, facultatem aliquem ad supplicium condemnasse, qui adversus Pastorem Ecclesiæ injurias evomuerat & SS. cœnam impedierat, nec non à Scab Lip. aliquem ad supplicium condemnatum qui ministrum Ecclesiæ ad sacra, in alio loco peragenda, commeantem vulneraverat ex insidiis, & ita Eucharistiam impedierat, refert *Berlich p. 4. concl. 20. n. fin.* hæc tamen non puto procedere, sed aliquantò mitius puniendum, aut absolvendum quando quis ex causâ offendit clericum. Si clericus injuriâ verbali tantum offenditur, injurians arbitrariè plectitur. Jure canonico manus injiciens in clericum, anathematis vinculo subjicitur *can. siquis suadente caus. 17. quæst. 4.*

Thes. XIII Ulterius indagandum, ubinam Clerici sint conveniendi, & cum omnibus ferè Theologis &

Poli-

Politicis Lutheranis dicendum arbitror, quod in judiciis Ecclesiasticis quoad suam personam & officium forum sortiantur; Nam Leo & Anthemius constituerunt ut clerici tantùm judicarentur vel ab ipso Imperatore vel qui imperatoris vices sustinerent quales in provinciis erant præsides & Romæ Præfectus Prætorio *l. 33. C. de Ep. & Cler.* Et Martianus Imperator constituit ut Constantinopoli Clericus non nisi apud Episcopum vel Præfectum Prætorio conveniretur *l. 25. & l. 1. C. de Ep. & Cler.* & Justinianus Imperator voluit, ut Clerici in causa pecuniaria prius coram Archi Episcopo convenirentur & si Episcopus eam decidere non posset, tùm demùm à præsidibus judicaretur *Nov 79. & 83. in præf.* quod privilegium Fridericus II. auxit, cujus constitutio habetur *in collat. 10. in fin.* unde desumta *auth statuimus* C. *d. t.* ubi verò scissura religionis in Imperio Romano facta, & per pacem religiosam Pontificis Jurisdictio Ecclesiastica in terris protestantium suspensa ipsi status Imperii peculiaria judicia Ecclesiastica constituerunt, quæ judicia hodiè consistoria vocantur, quibus præfecti sunt Theologi pariter atque Politici, Consistorialium nomine venientes, & hæc Consistoriorum constitutio per Recessus Imperii & transactionem Osnabruggensem satis est roborata, ut omnes causæ Ecclesiasticæ & per consequens causæ clericorum coram his judiciis sint ventilandæ *Carpz. proc. jur. t 1. art. 2. n. 26. & 27.* Nisi ratione rei sitæ actio realis vel mixta illis moveatur, tunc in judicio seculari instituenda est actio *Struv. Synt. jur. civ. Exerc. 9. thes. 59. Gerhard. in loco de mag. pol.* §. *440.* *Balduin. in cas. consc. l. 4. c. 12. cas. 14.* nam eo casu non persona, sed res in judicium trahitur *arg. l. 7 ff. de publ & vect. Gail. de pign. obs. 7. n. 2. Cov. pr. qq. c. 35. Conf. Arg. 24. n. 8. v. 2.* sunt & ad huc

B 2 mul-

multi casus in quibus judex secularis suam jurisdictionem judiciumque adversus clericos exercere potest quos recenset *Mynsing. cent. 2. obs. 7 cent. 1. obs. 21.* communiter tamen solent recenseri 13. casus in quibus clericus coram Laico sortitur forum I. si clericus à laico habeat feudum & ratione feudi conveniatur, II. si actio realis intentetur, III. si possessorium vel quasi instituatur *Gail. 1. obs. pr. 18.* IV. si reconveniatur clericus coram Laico agens V. si venditor clericus emtorem laicum defendat, VI. Si clericus tanquam tutor pupilli laici, nomine pupilli, suscipiat actionem, VII. Si clericus in arbitrum laicum compromittat, ut laudum in vim pacti valeat. IIX. Si clericus succedat Laico contra quem lis ante contestata, IX. Si clericus actor succubuit & in expensas condemnatus sit. X. Si tanquam actor ex *L si contendat* citetur. XI. Si à Laico constitutus sequester & actione sequestrariâ conveniatur. XII. Si in graviori delicto comprehendatur à Laico. XIII. Si clericus debitor aufugiat & in fugâ deprehendatur, quibus casibus à Doctoribus etiam alii solent addi. Sed jurisdictionem laici absq; superioris consensu in præjudicium ordinis prorogare non valent, quia tale privilegium toti ordini clericorum publico jure à summâ potestate indultum est *Em. à Rosbach. t. 11. § 15. consil. argent. 24. n 7 vol. 2.* cui sine justâ ratione derogari nequit *Struv synt. jur. civ. Ex. 11. th. 30.* quæ vero sunt voluntariæ jurisdictionis etiam coram Laico judice volentibus clericis expediri possunt *Baldus ad l 14. de Ep. & Cler.* valet quoq; pactum quo clericus exceptioni fori declinatoriæ renunciat cum quilibet licentiam habeat his quæ in sui favorem introducta sunt renunciare *l. 51 C. de Ep. & Cler. & ibi Brunn.* etsi contradicat *cap si*
di-

diligenti X de foro compet. quo prohibetur clericis, ne in secularem judicem consentire possint, quanquam jurato beneficio indulto renunciaverint, attamen hanc Imperatoriam constitutionem *in l. fi. d. t.* nostrates satis defendunt, & illud impietatis accusant, dum juratam etiam renunciationem non admittit *vid. Hill. in Donell. l. 17. c. 10.* Quoniam verò clerici ab immemoriali tempore ultra XII. ferè secula foro privilegiato sunt gavisi, & clericis ob bene merita in favorem piæ causæ hoc privilegium est indultum & pacificatione ac recessibus Imperii confirmatum, communiter statuunt illud privilegium ut clericus actione personali civili conventus, tantùm à Consistorialibus judicetur, non posse abrogari.

Thes. XIV. Cum vero suprà dictum, quod litis contestatione factâ, successor clericus coram judice laico coram quo cœptum est judicium, causam continuare debeat, hoc non statim extendendum est ad quamcunq; instantiam, si enim cum defuncto laico ipsa instantia sit extincta non continuatur illa contra clericum coram eodem judicio, sed clericus successor novo judicio coram Ecclesiastico judice est conveniendus, *Myns. cent. 3. obs. 45* Illi tamen qui clericos & sacerdotes convenerunt & succumbunt ad expensas litis restituendas condemnantur, quia ex qualitate personæ calumnia præsumitur *l. 33. § 8 C. de Ep. & Cler.* solent namque multi laici calumniari clericos & odio persequi; quia in vitia plebis tenentur inquirere & errantes reprehendere, ideò non possunt omnibus complacere *Brunnem. ad d. l.*

Thes. XV. An verò æque Clerici in feuda ac in bona allodialia succedere possint ingens Doctorum partim negan-

gantium partim affirmantium est conflictus *vid. Hunn. tr. feud. cap. 10. de caus. quibus feud. constit.* sed negantium verissima est opinio & juri feudali cum omnibus interpretum suffragiis magis convenit; etsi enim clerici per substitutum servire velint à successione tamen feudorum esse repellendos putant juxta *Hunn. d. l. vid.* **Finckelth.** *contr. feud. D. 6 contr. 16 & 17* quin & feudo quod jam habuerunt, eo ipso quo clerici fiunt & votum religionis assumunt privandos esse, per textus in jure feudali satis claros *in cap. 4, § qui clericus tit. si de feudo defuncti cap. 1. tit. de milit. vas. qui arm. bellica depos. cap. 1. v. ex hoc illud tit. de feud. famin* nimirum quia Dominus industriam certæ personæ atq; familiæ elegit per substitutum præstari nequeunt operæ atq; servitia *Carpz. p. 3. const. 28. def. 1. n. 5.* Nec aliter etiam jura Saxonica disponunt *vid.* **Lehnrecht** *art. 2. in pr. ibi* **Pfaffen und Frauen** &c. Sed placuit Illustrissimo Saxoniæ Electori, servitia per substitutum à clericis indifferenter præstari posse, quos nec propterea quod Deo ministrent feudum amittere, nec à successione ejus arceri voluit *const. El. p. 3. const. 28 pr.* quod & in terris Saxonicis observatur, sicut pronunciatū fuit à Scabinis Lipiensibus anno 1629 verb. Ist Euer Vater unlängsten Todesverfahren/und hat unter andern auch ein Lehn-Guth nach sich verlassen/Ob nun wol Eure Brüder euch als eine Geistliche Person und Pfarr-Herrn davon auszuschliessen gemeinet / in Betrachtung daß weder nach gemeinen noch Sächsischen Rechten die Clerici, da fern sie nicht selbsten von dem Lehn-Herrn beliehen / des Lehens fähig seyn Können/ dieweil aber dennoch vermöge Chur-Fürstl. Sächsischer constitution so wol Clerici als Ordens

Per-

Personen / von der Lehens succession nicht außgeschloß sen / sondern ihnen die Lehn durch substituirte Personen gegen den Lehn Herrn zu verdienen verstattet wird &c. So werdet ihr auch zugleich nebest euren Brüdern zu dem Lehn billig zugelassen / und es seind euch eure Brüder davon außzuschliessen nicht befugt &c.

Thes. XVI. Hoc verò scitu dignum, non obstante hâc constitutione, in provinciis Saxonicis clericos ad feudi successionem non esse admittendos, si Dominus novum feudum concedens, industriam certæ personæ nominatim elegerit, tunc enim servitia feudalia per substitutum præstari nequeunt, vel si expresse in investitura fuerit cautum, personaliter vasallum ejusque hæredes laicos deservire oportere *Frid. Schenck Baro à* **Tautenbergk/** *in cap. 1. de mil. vas. qui arma bell. depos. n. 15 Matth. Berlich. p. 3. concl. 39 n. 65. & 66.* strictè namq; tenori & pacto investituræ inhærendum, quod omnium feudorum juri & naturæ derogat.

Thes. XVII. An autem Clerici sint capaces rerum expeditoriarum ? jam in disquitionem venit, & negatur cum Domino *Herolt. tract. de jur. repræs. c. 5. concl 10. n. 21.* quamvis enim agnati sint, tamen ad successionem rerum expeditoriarum, ob incapacitatem harum rerum, cum ad expeditiones militares non sint habiles & sacra potius quam arma nosse præsumantur *arg. l. 22 C. de jur. de lib.* nunquam nisi qualitate Hergewetticâ præscriptâ (si sc. proximus agnatus laicus post trigesimum, intra annum & diem à tempore scientiæ computandos, eas non petierit, quo casu iterum hæreditati accrescunt) admittuntur *vid* **Land Recht** *l. 1. art. 27 & 28.*

C

& 18 & ita pronunciatum fuit in Academiâ Lipsiensi anno 1623. verb. seqq. Ist Hanß Köhler Todes verfahren/ und hat zwene Söhne als Conrad Köhlern/ Pfarr-Herrn zu Würdenhain an einem/ und Michel Köhlern am andern Theil/ zu samt einem Heergerähte nach sich verlassen/&c. So hat sich solches Heergerähte Michael Köhler alleine anzumassen/ und der andere Bruder Conrad Köhler weil er Geistlich ist/ hat daran keine Foderung v. R. W. Nec etiam relinqunt res expeditorias, quamvis dissentiat *Matth. Berlich. p. 3. concl. 39 n 96.* sed contra textum manifestum *in art. 5. l. 1* **Land-Recht** *verb. hisce* **von des Pfaffen Guthe nach seinem Tode nimt man kein Heergewette/ denn es wird alles zum Erbe geschlagen/ was er nach sich verläst/** quomodo etiam pronunciarunt Lipsienses anno 1618. verb. Ist George Koch Pfarr-Herr zu grossen Döltzig mit Tode abgangen/ und hat zwey Söhne und zwey Töchter zusamt einer Erbschafft und etlichen Stücken zum Heergeräthe gehörig nach sich verlassen &c. So werden die Stücke zum Heergeräthe gehörig/ gestalten Sachen nach/ weil der Verstorbene ein Pfarr-Herr gewesen/ vor Erbe geachtet/ und gehalten/ und haben sich die zwey Söhne derselben allein anzumassen nicht fug v. R. W.

Thes. XVIII. Pro hoc tamen incommodo quod non succedant in rebus expeditoriis, hoc beneficio è contra fruuntur, ut sive soli sint, sive cum sororibus concurrant, matri tantùm, non vero cognatæ in geradâ succedant, **Land Recht** *l. 1 art. 5. verb* **der Pfaff nimt gleichen Theil mit der Schwester in der Mutter Gerade/ welches geschicht umb ihres Behtens willen/**

denn

denn alle Welt geneust ihres Bethens *ut inquit gloss. germ. ibidem n. 7.* sic quoq; judicarunt Scab. Hall. anno 1615. 20. Mart. h. m. Ist eure Mutter kurtz verrückter Zeit verstorben/und ihre Erbschafft auff euch und eure Geschwistere verfället/der Gerade aber sich eure Schwestern allein anmassen wollen/ Dennoch aber weil zu Sachsen-Recht die geweiheten Priester auch zu der Gerade verstattet werden/ und ihr dißfals itzo im Predigt-Ambte seyd/als wehren auch eure Schwestern euch euren Antheil von solcher Gerade zu geben schüldig &c. Dummodo filius tempore mortis maternæ actu clericus sit prout in Dicasterio Hallensi anno anno 1676. 16. Mart. responsum fuit verb. Dafern der Sohn als der Mutter Todesfall geschehen/ noch nicht in Geistlichen Stande gewesen &c. so wehre der Sohn auff solchen Fall der Gerade sich anzumassen nicht befugt. Nec pater Clericus filiæ in geradâ succedit. *Harpm. Pist. obs. 172. n. 45.*

Thes. XIX. Alia se sistit quæstio, an à Clericis homagium exigi possit? Et affirmativam teneo (licet varii varie de clericorum subjectione & homagio disputent) cum Theologis nostris communiter concludentibus, Magistratum secularem etiam à clericis & personis Ecclesiasticis exigere posse homagium seu juramentum fidelitatis ac obedientiæ in temporalibus, *teste Gerhardo in loc. Theol. loc. de mag. pol.* §. 468 & quanquam nonnulla scripturæ dicta huc rapiant & pro se interpretentur Pontificii, ad illa tamen nostrates ex vero scripturarum intellectu responderunt sufficientissimè, prout videri potest apud prælaudatum *Gerhard. d. l* §. 464. Et hæc de jure, pii tamen magistratus plerisq; in locis jure suo

C 2 non

non stricte utuntur, sed simplici obedientiæ promissione sunt contenti.

Thes. XX. Non tantum autem homagium præstare, sed etiam si ut testes in aliqua causa producuntur, jurare debent, quod quidem negandum videtur *per auth. sed judex C. de Ep. & Cleric.* ubi Episcopo injurato creditur, sed contrarium verius est & probatur per textus *in capite nuper nobis de testam. & attestat. Farin. de testam. quæst 74. num. 66.* ad dictam authenticam facilis est responsio, quia verba illa, non tamen jurent *in Nov. 123. c.7.* ex quo dicta authentica ab Irnerio desumta, non reperiuntur, atq; hinc passim pronunciatum legi, ministros Ecclesiæ in testimonium vocatos à juramento testium non esse excusandos, quomodo & in Academia Julia responsum fuit anno 1647. d. 27. Octobr. verbis hisce Weil die Clerici des Juramenti testium da es von ihnen erfordert sich nicht entbrechen mögen per text. in capit. nuper nobis de test. & attest. so sind die Pfarr-Herrn den in actis bemeldten Zeugen Eyd da wieder beschehenes Einwendens ungehindert/ würcklich abzuleisten schüldig v.R.W. *videatur de hac re Carpzov. pag.1. Decad 77. Dec.77 ubi n 3 4.5.6.7.* quatuor rationes pro clericorum immunitate à juramento adfert *n 8 9 10 11.12.13 15.18. 22.* satis autem refellit & rationes decidendi refert. quo B.L. remitto. Si tamē clerici ut testes examinandi coram Ecclesiastico Magistratu veniunt examinandi aut ex concessione magistratus Ecclesiastici coram seculari Magistratu eorum testimonia recipiuntur. Richter *in Append. vol. 3. Decis. c. 12. n. 9.* *Thes.*

Thes. XXI. Nullam etiam prærogativam præ aliis habent in præscriptionibus, non enim gaudent præscriptione quadragenariâ ut Ecclesiæ, sed contra eos præscribitur secundum dispositionem juris Saxonici, & in illis locis ubi jus civile tantùm receptum est, secundum dispositionem juris civilis Schneiduin. in comment. ad inst. t. de usu cap. Est enim communis conclusio, in patrimonialibus clericos non gaudere privilegiis Ecclesiæ, nisi in casibus à jure expressis, de quo *Bald. in 4. part. 5. part. pr. in 5. quæst.*

Thes. XXII. Pleraq; autem enumerata privilegia sunt personalia, quæ morte extingvuntur, nec ad uxores & liberos post mortem clerici transeunt, cum causâ privilegii cessante & ipsum privilegium cesset *Tira quell. tr. cessante causâ n. 210*, toti tamen ordini clericorum eorumq; successoribus in officio manent immutata licet unus vel alter decesserit universitas enim eadem censetur licet personæ sint mutatæ *l. 76. ff. de judic.*

Thes. XXIII. Ultimò etiam adhuc notandum, quod post mortem clericorum in Archi Episcopatu Magdeburgensi, uxores & liberi eorum, ab Illustrissimo Principe Augusto hoc beneficio donati sint, ut per semestre spacium domicilio omnibusq; reditibus fruantur, quemadmodum ordinatum est **in der Fürstl. Magdeburg. Kirchen Ordnung daselbst tit. von Freyheiten der Prediger** *§. 14. verb.* **Wie sie**

dann

dann auch ein halbes Jahr nach ihres Vaters und Ehe-Mannes Absterben sollen in der Pfarr Wohnung gelassen/die Aufftkunfften ihnen gegeben/ und hier zwischen das Predigt Ambt durch die Benachbarte Prediger versorget werden. Cujus simile qvid etiam in Marchia Brandenburgensi & plerisq; territoriis principum protestantium est introductum ut viduæ parochorum una cum liberis anno gratiæ fruantur. Finckelth. *de jure patronatus Eccl. c. 6. n. 93.* Quod privilegium etiam solis liberis non existente vidua tribuere solent *Carpz. Jur. Eccl. l. 1. d. 208. n. 8.*

Thes. XXIV. Plura quidem de nobilissimâ & âmplissimâ hâc materiâ ex vastissimo juris nostri Oceano colligenda fuissent, verùm temporis angustiâ præclusus, manum pedemq; hîc figo. Fateor equidem B.L. lubens ac ingenue, longe inferiores hujus materiæ elaborationi fuisse vires meas sed cum & conatꝰ laudem interdũ mereatur tantùm abest, ut rigidiorem illam censuram metuam, ut potius leviuscula hæc æqui bonique consulere, & sicubi humano more erraverim, ingenio judicioq; adhuc imbecilliori illud benevole condonare sperem, Deo T.O.M. interim holocausta cordis mei pro sua adsistentia offerens, quod huic labori ex voto impositus sit.

F I N I S.

❧)o(❧